BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Seite 32v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Mensis inquit iste duorum mensium principium est. qui apud nos martius vocatur. Hic autem sic nobis primus idest maximus et principalis in mensibus anni. quoniam maiora in hoc mense quam in ceteris fiunt sacramenta. Loquimini ad universum cetum filiorum israel et dicite eis. Decima die mensis huius tollat unusquisque annum per familias et domos suas. Si autem minor est numerus ut sufficere possit ad esum agni. Erit autem agnus absque macula masculus anniculus. Iuxta quem ritum tolletis et edum et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius. Immolabitque eum universa multitudo filiorum israel ad vesperam. Decima namque tolluntur agnus et edus et servantur usque ad diem quartadecimam eiusdem mensis et tunc immolantur. Nam quia tabule testamenti decem verba idest decem precepta principalia scripta habuerunt in quibus tota lex quodammodo continebatur ideo frequenter per decem totum vetus testamentum intelligitur. Quia vero quatuor sunt euglia in quibus novum testamentum clauditur ideo per quatuor novum testamentum designatur. Decima igitur dies vetus testamentum quarta vero post decimam novum designat. Decima autem die tollitur agnus sed usque ad quartam decimam immolandus servatur. quoniam xpi passio in veteri testamento per figuras et enigmata significata tandem in novo veraciter est adimpleta. Ibi xps monstratur hic immolatur. ibi significatur hic sacrificatur. Ibi denique agni immolatio narratur hic vero xpi passio predicatur. Vetus namque testamentum eo tempore finem fecit quo xps dominus noster suis discipulis ait. Amen dico vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno dei. Vetus igitur vinum spernitur novum promittitur non quod vetus lex omino destruatur sed quod novo et spirituali sensu intelligatur. Hoc autem in regno dei quod est ecclesia. xps autem et agnus est propter innocentiam et edus dicitur propter similitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur Ecce agnus dei qui tollit peccata mundi. De hoc similiter dicitur Ne coquas edum in lacte matris sue. Ad hunc autem vescendum vicinos et propinquos invitare debemus ut qua caritate omnium salutem desideramus innotescat. Vicinus et enim noster omnis xpianus est et quicumque ab ecclesia longe non est. Est autem agnus iste absque macula quoniam sicut scriptum est peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore eius. Est autem masculus anniculus quia nichil habet molle nichil femineum nichil corruptioni obnoxium nichil carnalis sentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur. edus vero ab omni multitudine immolatur. Per quod aptissime designatur et hoc sacrificium quod modo in ecclesia assidue sumitur. et illud quod a iudeis insanientibus in ara crucis est immolatum. Quamvis enim et hoc et illud unum idemque sit tamen aliter et aliter fit. Unde illi edum occidunt inter iniquos et peccatores mundi salvatorem deputantes. Sicut scriptum est. Et inter iniquos deputatus est. Itemque. Nisi esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Nos autem quia innocentem scientem et iustum et sine omni contagione peccati dei filium esse credimus agnum absque macula et immolamus et sumimus. Ideoque quamvis agnus et edus immolatur solus tamen agnus a populo manducatur. Illud enim sacrificium in isto sumitur quia hoc in illud verissime convertitur. Numquam enim illud comederetur nisi hoc in illud verteretur. Est autem hec mutatio dextere excelsi. Omnis autem multitudo filiorum israel edum immolavit. sed quoniam ad vesperam. quoniam proditor iudas circa hanc horam cum iudeis locutus xpm vendidit nummos accepit. atque altera die circa horam vespertinam idest post nonam salvator noster spiritum emisit. Unde psalmus ait. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sed quia xps dominus noster octavo kalendas aprilis est crucifixus et pridie quam crucifigeretur hec agni immolatio facta fuerat quomodo verum est quod quartadecima die predicti mensis agnus dicitur immolatus. Iudei namque non sicut nos menses computant sed secundum lune innovationem mensium quoque principia fiunt. Sequitur.

Et sument de sanguine agni et ponent super utrumque postem agni sanguinem ponunt qui et ore et corde illum suscipiunt. Qui vero vel indigne suscipiunt vel etiam suscipientes xpi sanguinem esse non credunt. isti in unum tantummodo postem sanguinem ponunt. De quibus apostolus ait. Qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit. Nos igitur et ore sumentes et corde xpi sanguinem esse credentes. in utrumque postem eum ponamus et corpore et mente suscipiamus. Cum autem crucis signum que xpi sanguine cruentata est in nostris frontibus